

verba laudis serpentis venena jaculetur. Caeterum, si culpabilis et detestabilis postmodum fuerit, si confessionem suam mala conversatione prodegerit, si vitam suam turpi foeditate maculaverit, si ecclesiam denique, ubi confessor factus est, derelinquens, et unitatis concordiam scindens, fidem primam perfidia posteriore mutaverit, blandiri sibi per confessionem non potest, quasi sit electus ad gloriae praemium, quando ex hoc ipso magis creverint merita poenarum. Nam et Judam inter Apostolos Dominus elegit, et tamen Dominum Judas postmodum prodidit.

XVII. Non tamen idcirco Apostolorum fides et firmitas cecidit, quia proditor Iudas ab eorum societate defecit. Sic et hic non statim confessorum sanctitas et dignitas comminuta est, quia quorundam fides fracta est. Beatus Apostolus in epistola sua loquitur, dicens: Quid enim si exciderunt a fide quidam illorum, numquid infidelitas illorum fidem Dei evacuavit? Absit. Est enim Deus verax, omnis autem homo mendax. Stat confessorum pars major et melior in fidei suae robore, et in legis ac disciplinae dominicae veritate. Nec ab ecclesiae pace discedunt, qui se in ecclesia gratiam consecutos de Dei dignatione meminerunt: atque hoc ipso ampliorem consequuntur fidei suae laudem, quod ab eorum perfidia segregati, qui juncti confessionis consortio fuerunt, a contagio criminis recesserunt: vero illuminati evangelii lumine, pura et candida Domini luce radiati, tam sunt in conservanda Christi pace laudabiles, quam fuerunt in diaboli congressione victores.

XVIII. Opto equidem, dilectissimi fratres, et consulo pariter et suadeo, ut si fieri potest, nemo de fratribus peccet, et consentientis populi corpus unum, gremio suo gaudens mater includat. Si tamen quosdam schismatum duces, et dissensionis auctores, in caeca et obstinata dementia permanentes non potuerit ad salutis viam consilium salubre re-